



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IV. De remissione peccatoru[m] venialium,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

90. Obijcies quartò : Sublatâ causâ tollitur effectus : Sed culpa peccati est causâ reatûs pœnæ tam æternæ quàm temporalis , remittiturque omnino per pœnitentiam peccatum quoad culpam : Ergo & quo ad pœnam , sive temporalem , sive æternam.

91. Respondeo peccatum esse quidem causam reatûs pœnæ temporalis , sed præcisè quoad fieri ipsius , non verò quoad ejus conservationem ; quare non est mirum , quod peccato omnino quoad culpam remisso , ejusmodi reatus relinquatur & conseruetur : sicut mirum non est , quòd sublato & defuncto patre , filius adhuc remaneat & vivat.



DISPUTATIO IV.

De remissione peccatorum venialium.

Ad questionem 87. D. Thomæ.

Cum pœnitentia , non solum peccata mortalia , sed etiam venialia remittere valeat , ut omnes ejus effectus explicemus , præcedenti disputationi istam subjungimus , in qua de remissione peccatorum venialium breviter disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ad remissionem peccatorum venialium , necessaria sit aliqua pœnitentia interior , eaque debeat esse formalis , vel sufficiat virtualis ?

§. 1.

Referuntur sententia : & vera eligitur , & duplici conclusione explicatur.

1. In hujus difficultatis resolutione duæ sunt extremæ sententiæ , & alia media. Scotus enim , Gabriel , & alii , negant esse necessarium ullum actum pœnitentiæ , etiam virtualis , ad remissionem peccatorum venialium , & ad eam sufficere existimant quemcumque actum bonum , qui magis placeat Deo , quàm displiceat peccatum veniale , licet ad ejus remissionem non ordinetur. Durandus è contra asserit necessarium esse actum pœnitentiæ formalis ad remissionem peccati venialis. Alii verò Theologi , tam domestici , quàm extranei , cum S. Doctore hic art. 1. docent , ad remissionem peccatorum venialium , necessarium quidem esse aliquem actum pœnitentiæ , illum tamen non debere esse actum pœnitentiæ formalis , sed sufficere actum pœnitentiæ virtualis. Pro hac opinione , & contra præcedentes.

2. Dico primò , ad remissionem peccatorum venialium non sufficere quodcumque opus bonum & meritorium vitæ æternæ , sed requiri necessariò aliquem actum pœnitentiæ. Ita D. Thomas hic art. 1. ubi sic discursit : Remissio culpa fit per conjunctionem hominis ad Deum , à quo aliquatim separat culpa : Sed hac separatio perfectè quidem fit per peccatum mortale , imperfectè autem per peccatum veniale ; nam per peccatum mortale mens omnino à Deo aver-

titur , utpote contra charitatem agens ; per peccatum veniale retardatur affectus hominis , utpote in Deum feratur. Et idè utrumque peccatum remittitur voluntas hominis , quia per utrumque detrahitur voluntas hominis , per immoderatam conversationem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest , quando voluntas peccati adhæret : ita etiam nec peccatum veniale , quia non remittitur voluntas , manet effectus. Quibus venialibus insinuat rationem , quâ probatur primò conclusio. Peccatum veniale causat aliquam disordinationem in voluntate hominis , non quatenus circa ultimum finem , sed circa mediocratem , nem ad bonum creatum ; unde ad remissionem peccati venialis requiritur quod talis disordinatio reparetur sive tollatur : Sed tolli nequit , nisi aliquam pœnitentiam sive displicentiam detrahatur quia nihil expellitur nisi à suo contrariis : nam etiam , quia quando voluntas actus sui virtutis peccatum pœnitentiæ non retrahat inordinatam voluntatem ad creaturam , semper mortaliter censetur perseverare in illo ; nam quando non retrahat actum quem semel elicit , semper censetur velle illum : Ergo ad remissionem venialium , aliquis actus pœnitentiæ requiritur.

Probat ut secundò conclusio : Cum peccatum sive mortale sive veniale non remittitur , sed de facto , & per solam non imputationem arbitrii in eam condonationem , sed per actum voluntatis ipsi contrariam , sive cum eo incompabilem , illi actus duntaxat sufficiunt in homine sufficere ad remissionem venialium , qui sunt incompobiles cum peccatis illis : Sed non quod hoc opus meritorium est incompabile cum peccato veniali , aliis enim remanens in tali peccato , nihil omnino meretur : Ergo ad remissionem peccatorum venialium , non sufficit quodcumque opus bonum & meritorium vitæ æternæ , sed requiritur necessariò aliquis actus pœnitentiæ.

Confirmatur : Si quodcumque opus meritorium sufficeret ad remissionem peccati venialis , vel quia æquè aut magis placeret Deo , quàm peccatum veniale displiceat , ut dicit Scotus ; vel quia facit hominem magis amicum Deo , & dignum majori gratiâ & gloriâ : Non primò , aliis enim aliquando aut nullum remitteretur peccatum veniale , aut innumera , si essent , remitterentur tantum actum meritorio ; quia non est major ratio quare hoc potius quàm illud remittatur , præsertim quando sint æqualia inter se ; quod tamen nec de actu quocumque charitatis concedunt Doctores. Nec etiam secundum , quia quodcumque gratia sit intensa ; non habet incompabilitatem cum peccato veniali.

Dico secundò , ad remissionem venialium non requiritur necessariò pœnitentia formalis , sed sufficit virtualis. Ita S. Thomas articulo citato , ubi post verba superiori conclusione adducta , subdit : Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis , perfectior pœnitentia , ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est , ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia , ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit debitalis displicentia , quia habetur per habitum charitatis , vel pœnitentiæ virtutis ; quia si charitas non compateretur peccatum veniale , quod potest esse falsum. Unde sequitur quod requiritur quædam virtus

virtutis displicentia; puta cum aliquis hoc modo fer-
tur secundum affectum in Deum & res divinas, ut
quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retar-
daret, displiceret ei, & daret se hoc commisisse,
etiam si actu de illo non cogitaret. Quibus verbis
aperte docet, ad remissionem venialium non
requiri necessarium penitentiam formalem, sed
sufficere virtualem.

Ratio etiam id suadet: Primò, quia sola peni-
tentia virtualis sufficienter opponitur veniali;
nam sicut in veniali est recessus non quidem ab
amicitia, sed à familiaritate Dei, & conversio ali-
qua inordinata ad creaturam; ita in penitentia
virtuali, qualis est actus charitatis, est accessus ad
familiaritatem Dei, & recessus à creatura.

Secundò, Multò plus requiritur ad remissio-
nem peccati mortalis, quam ad remissionem pec-
cati venialis: Sed ad remissionem peccati morta-
lis sufficit penitentia virtualis, saltem per acci-
dens, ut disputatione præcedenti ostensum est:
Ergo eadem sufficit ad remissionem peccati veni-
nalis, etiam per se & ex natura rei.

Tertiò, Peccata venialia non sunt de necessi-
tate confessionis, nec per consequens etiam de
necessitate contritionis: Ergo remittuntur sine
ordine ad contritionem, atque adeò sine peni-
tentia formali.

Quartò, Sacramentalia aliqua cum devotione
suscepta, habent vim ad remittendum peccata
venialia, ut infra dicemus: Ergo à fortiori remit-
tuntur peccata venialia per actum charitatis vel
devotionem ad res divinas. Pater Consequentia,
actus enim charitatis magis opponitur veniali-
bus peccatis, quam sacramentalia. Dixi per actum
charitatis: vel devotionem ad res divinas, quia no-
mine penitentiae virtualis, intelligitur non so-
lum actus charitatis quo movemur in Deum, sed
etiam omnis motus quo quis accenditur in res di-
vinas, ut venialia displiceant, si memoria occur-
rerent: talis enim motus potest dici penitentia
virtualiter aut æquivalenter, totque remittet pec-
cata venialia, quot formaliter aut virtualiter dis-
plicebunt, & omnia, si omnia displiceant sub ali-
qua ratione communi omnibus, puta sub ratione
divinae offensae.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

Obijcies primò contra primam conclusio-
nem: D Thomas hic art. 1. ad 2. affirmat
martyrium & baptismum purgare ab omni culpa
tam veniali quam mortali, si non inveniatur vo-
luntatem actu adhaerentem peccato: Ergo censet
ad remissionem venialium non requiri necessa-
rio actum penitentiae.

Respondeo S. Thomam in eo qui ad marty-
rium vel ad baptismum accedit cum peccatis veni-
alibus aut mortalibus, supponere præcessisse
aliquem actum attritionis, quo posito, ut deinde
martyrium aut baptismum peccata remittant suf-
ficient, si inveniatur voluntatem Martyris vel bap-
tizantis actu peccato non adhaerentem. Quod au-
tem hoc supponat, patet tum ex corpore articu-
li, ubi ad utraque peccata dimittenda requirit
penitentiam: tum quia eodem modo loquitur de
remissione mortalium & venialium, per marty-
rium & baptismum: nemo autem dicet, de facto
martyrium vel baptismum mortalia remittere si-
ne attritione.

Tom. 7.

Dices, Si baptismus & martyrium non remit-
tant peccata venialia, sine attritione formali aut
virtuali de illis, poterit prudenter dubitari, an ali-
quibus baptizatis ad peccata venialia valde propen-
sis, talia peccata per baptismum remissa fue-
rint, subindeque conveniens satisfactio poterit
pro illis imponi, quod in Ecclesia inauditum est.
Poterit quoque Ecclesia prudenter orare pro ali-
quibus Martyribus, ut Deus illis remittat penas
peccatorum venialium, cum quibus decesserunt.
Quod est contra sensum & praxim Ecclesiae, &
contra illud S. Augustini, *Injuriam facit Mar-
tyri qui orat pro Martyre.*

Respondeo negando utramque sequelam, cum
enim ea sit vis baptismi & martyrii, ut remittat
omnia peccata tam mortalia quam venialia ante
ipsum commissum, quoad reatum culpae, & totius
penae, nisi sit obex; si quis baptismum suscepit,
aut martyrium passus est, cum obice negativo circa
venialia, defectu attritionis de illis, cum primum
postea ponitur attritio, tolluntur omnia venialia
quoad culpam & quoad penam integram: quare
non est imponenda satisfactio baptizatis cum tali
obice, sed tantum hortandi sunt, ut quamprimum
atterantur, & obicem tollant. Similiter non est
orandum pro Martyre post ejus mortem, ut à
penis liberetur, quia in instanti separationis ani-
ma à corpore, vel paulò ante, prorumpit in actum
serventissimum contritionis vel charitatis, quo
liberatur ab omni pena peccatis venialibus debi-
ta, quæ ante mortem non expiavit.

Obijcies secundo: Omnis actus dilectionis, etsi
non sit virtualis displicentia de venialibus, est me-
ritorius gloriae aeternae: Ergo à fortiori meretur
remissionem venialium; qui enim potest id quod
est majus, à fortiori potest id quod est minus. Er-
go ad remissionem venialium non requiritur ne-
cessario actus penitentiae formalis aut virtualis.

Respondeo, concessio Antecedente, negando
Consequentiam, quia actus charitatis per se ordi-
natur ad promerendam vitam aeternam, non au-
tem ad remissionem venialium, nisi cum illis ha-
beat oppositionem, quam non habet, si non sit
virtualis saltem eorum displicentia. Illud verò
axioma, *qui potest maius, potest & minus*, habet
locum solum in his quæ sunt ejusdem rationis,
aut subordinata, qualia non sunt remissio culpæ
venialis, & meritum vitæ aeternae.

Obijcies tertiò: Qui meretur finem, meretur
tollì impedimenta ad finem: sed venialia sunt im-
pedimenta ad gloriam: Ergo qui meretur glo-
riam, meretur etiam remissionem peccatorum
venialium, subindeque ad illam sufficit quodcum-
que opus bonum & meritorium vitæ aeternae.

Respondeo distinguendo Majorem: Qui mere-
tur finem, meretur tollì impedimenta essentialia
ad finem, concedo. Meretur tollì impedimenta
accidentalìa, nego. Alioquin qui meretur glo-
riam, mereretur totius penae temporalis remis-
sionem, nam hæc etiam est impedimentum ad
illam. Cum igitur venialia solum sint impedi-
mentum accidentale, retardans, non tollens glo-
riam, non sequitur, quod qui meretur gloriam,
meretur semper remissionem venialium: possu-
mus enim elicere opus bonum & meritorium vi-
tæ aeternae, retinendo affectum ad aliquod venia-
le peccatum autem veniale (ut infra dicemus)
non potest remitti, saltem de via ordinaria,
quandiu homo retinet affectum ad illud.

Obijcies quartò cum Soto: Macula peccati
A a a venia-

venialis consistit in obligatione ad penam temporalem: Sed pena temporalis debita peccato veniali, sine actu penitentiae remitti potest: Ergo & tolli macula peccati venialis. Minor videtur certa, Major verò ex eo probari potest, quod cum peccatum veniale non causet privationem gratiae nec convertat hominem ad creaturam tanquam ad ultimum finem, transacto actu peccati venialis, nihil ex eo remanere potest, quod habeat rationem maculae, seu peccati habitualis, nisi reatus seu obligatio ad penam temporalem.

19 Respondeo negando Majorem, tum quia obligatio ad penam est quid consequens culpam; ideo enim aliquis dignus est pena quia peccavit, & veniale est proprie culpa, cum sit materia confessionis, quae non versatur nisi circa culpas. Tum etiam, quia alioquin posset veniale remitti ei qui haberet actuale propositum illud in futurum committendi; nam posset solvere pro praeterito, & simul habere propositum committendi aliud in futurum. Ad probationem in contrarium, respondent aliqui, maculam peccati venialis consistere in conversione inordinata ad bonum commutabile, non, quidem quae sit contra ipsum Deum simpliciter loquendo, sicut ea in qua consistit peccatum mortale, sed tantum praeter Deum atque adeò retardans affectum, ne prompte in eum feratur. Cui responsioni manifeste favet D. Thomas hic art. 2. ad 3. ubi ait quod sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter: uno modo per privationem eius quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debite proportionis membrorum; alio modo per inductionem alicuius impediens decorem, puta luti, aut pulveris: ita etiam arguitur induci macula, uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit per peccatum veniale. Alii verò censent, quod sicut macula peccati mortalis non consistit in aliquo positivo, sed in privatione gratiae sanctificantis, in anima peccatoris ex praeterito actu peccati resultante, ut in Tractatu de peccatis cum Carmelitis Salmanticensibus docuimus: ita macula peccati venialis non consistit in aliquo positivo, sed in privatione fervoris charitatis, seu illius habilitatis quam habet charitas, ut prompte feratur in Deum, Et haec etiam solutio probabilis est, & his quae loco citato Tractatus de peccatis docuimus, omnino consona.

20 Dices, Ex hoc sequeretur, quod peccatum veniale non posset tolli seu remitti nisi per actum charitatis, privatio enim non potest tolli nisi per formam oppositam. Sequeretur etiam non posse remitti unum veniale sine alio: si enim macula peccati venialis opponatur privativè actuali fervori charitatis, non poterit sine fervore charitatis remitti: Sed charitatis fervor quodcumque peccatum veniale excludit: Ergo non poterit unum peccatum veniale remitti, nisi simul omnia deleantur.

21 Respondeo negando sequi duo illa inconvenientia. Non quidem primum, cum enim macula peccati venialis consistat in privatione aut diminutione illius fervoris & prosperitatis quae anima fertur in Deum, ei non solum opponitur actus charitatis, sed etiam actus religionis & aliarum virtutum, quo quis ita fertur in Deum vel res divinas, ut venialia displicerent, si memoria occurrerent: unde per illos actus (ut supra dicebamus) peccata venialia remitti possunt, quia

A actus illi, sunt actus penitentiae virtualiter, & equivalenter, ut colligitur ex D. Thoma hic art. 1. ubi docet peccata venialia posse remitti per virtutem dispensantem. Sicut (inquit) in rebus divinis, ut quidquid sit occultum et quod cum hoc motu retardaret, displiceret ei, & deleret si non commisisse.

Secundum etiam inconveniens non sentitur in nostra doctrina; cum enim fervor charitatis habeat quandam latitudinem, fieri potest ut alius fervor charitatis opponatur solum aliquibus peccatis venialibus, non tamen omnibus (quorum tantus est, ut formalem aut virtutem omnem dispensantem includat) subindeque licet per solum charitatis fervorem aliqua peccata venialia remittantur, non tamen omnia.

B Obijces quartò cum Durando contra eandem conclusionem: Peccatum veniale non tollitur nisi per suum oppositum: Sed penitentia virtualis illi non opponitur: Ergo peccatum veniale non remittitur per penitentiam virtutem, sed solum per displicentiam & penitentiam formalem. Major patet, Minor probatur. Tum quia actus fervidus charitatis potest esse cum peccato veniali: Tum etiam quia devotio ad res divinas, & mendacium jocosum v. g. nullam habent oppositionem; mendacium enim solum opponitur veritati, non verò devotio aut charitas. Praeterea quam quod devotio & charitas afferunt incrementum, subindeque non important dolorem requiritum ad remissionem peccati.

C Respondeo concessa Majori, negando Minorem, & ad primam ejus probationem dico, quod quamvis possit esse actus fervidus charitatis cum aliquo veniali, cujus non est virtualis penitentia, & retardatio; nequit tamen esse veniali, cujus est virtualis penitentia aut retardatio. Ad secundam dicendum, quod licet veritas aut devotio non opponatur mendacii joso, secundum ejus rationem specificam, licet enim ei tantum opponitur veritas, opponitur tamen ei secundum rationem genericam peccati venialis; cum enim prompte tendat in Deum, opponitur retardationi tendentiae in illum, quae retardationem peccatum veniale secundum rationem genericam importat. Gaudium vero illud quod affert devotio est virtualis displicentia peccati venialis, cum sit delectatio de ejus contrariis.

§. III.

Tria corollaria ex precedenti doctrina.

EX dictis colliges primò, hoc inter peccata mortale & veniale reperiri discrimen, quod ad remissionem mortalis requiritur per se venialis penitentia, licet per accidens sufficiat penitentia virtualis; ad remissionem verò peccati venialis, per se tantum requiritur penitentia virtualis, nec requiritur penitentia formalis, quod melius esse.

Colliges secundò aliud discrimen inter peccata mortalia & venialia; cum enim peccata mortalia non tollantur nisi per gratiam sanctificantem, quae cum quolibet peccato mortali incompatible est, repugnat unum peccatum mortale remitti sine alio, ut disputatione precedenti in conclusu 4. docuimus. E contra verò cum peccata venialia remittantur per charitatis fervorem, qui

interdum tantus non est, ut omnia venialia excludat, ac virtutalem eorum displicentiam importet, unum vel plura peccata venialia possunt remitti sine aliis.

- Colliges tertio, quod quandiu quis est affectus aliquo modo circa peccatum aliquod veniale, tale peccatum non potest remitti, saltem de via ordinaria, quia talis affectus excludit omnem penitentiam tam formalem quam virtutalem de illo, utpote ipsi contrarius: peccatum autem veniale non potest remitti sine penitentia formali aut virtuali, ut in prima conclusione ostensum est.

ARTICULUS II.

Utrum ad remissionem venialium requiratur gratia?

§. I.

Quibusdam praeiudici difficultas resolvitur.

- Notandum primo, hanc quaestionem tam de gratia habituali quam de actuali procedere; inquirimus enim, utrum non solum auxilium aliquod supernaturale movens liberum arbitrium, sed etiam gratia habitualis hominem iustificans & sanctificans, ad remissionem peccatorum venialium requiratur?

- Notandum secundo, ad remissionem venialium gratiam habituales posse requiri tribus modis. Primo antecedenter, ut persona sit capax talis remissionis. Secundo concomitanter, quia quodlibet opus remissivum venialis, est etiam meritum gratiae. Tercio formaliter, quia non potest veniale expelli, nisi per gratiam habituales, ut per formam oppositam. His praemissis, pro resolutione difficultatis propositae:

- Dico primo, remissionem peccatorum venialium non posse fieri sine gratia actuali, seu auxilio supernaturali divinae gratiae. Est contra Scotum, Gabrielem, Majorem, & alios, existimantes ad remissionem venialium sufficere actum virtutis naturalis, subindeque ad illam auxilium supernaturale divinae gratiae non requiri. Est tamen D. Thomae hic art. 2. ad 2. ubi ait, quod ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem removeatur inordinata ad rem temporalem. Et art. 4. ad 2. dicit quod licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiae, requiritur tamen aliquis gratiae actus.

- Ratio etiam id suadet: Peccatum enim veniale est quoddam malum pertinens ad ordinem gratiae, cum retardet affectum ne prompte tendat ad Deum ut finem supernaturalem, & causet aliquam deordinationem circa media ad talem finem. Sed malum pertinens ad ordinem gratiae, non potest tolli nisi per gratiam, seu ex auxiliis divinae gratiae, unumquodque enim tollitur a suo contrario: Ergo peccatum veniale non potest remitti sine auxilio supernaturali divinae gratiae.

- Confirmatur: Veniale retardat ab ingressu gloriae: Ergo ejus remissio non fit sine gratia; quidquid enim conducit ad gloriam, nobis conceditur per Christum; nam ipse est causa totius nostrae praedestinationis, quae dicit certam seriem mediorum, quae sunt in ordine gratiae.

Dico secundo, semper ad remissionem venialium

Tom. V.

lium requiritur gratia habitualis antecedenter. Est etiam D. Thomae hic art. 4. ubi docet ei qui est in peccato mortali, nullum remitti veniale, quia ille caret gratia habituali, quae ad cuiuscunque culpa remissionem praerequitur. Ratio est, quia offensa non tollitur, nisi per satisfactionem factam personae laesae: Sed non potest esse satisfactio hominis ad Deum laesum per peccatum mortale aut veniale, sine gratia habituali: Ergo sine illa nulla offensa sive mortalis sive venialis tolli seu remitti potest. Major patet, Minor probatur. Omnis satisfactio hominis ad Deum debet esse amicabile, & fundata in gratia; cum enim sit infinita distantia hominis ad Deum, nulla potest esse satisfactio hominis ad Deum, nisi ex acceptione divina: nullum autem opus peccatoris carentis gratia sanctificante, est acceptum Deo, cum sit opus inimici: Ergo omnis satisfactio hominis ad Deum, debet supponere gratiam, & in ea fundari.

Confirmatur: Peccatum veniale diminuit fervorem charitatis, unde sine charitatis fervore non remittitur: Sed charitatis fervor supponit in subiecto gratiam & charitatem: Ergo ad remissionem venialium gratia habitualis in subiecto antecedenter requiritur.

Dico tertio, gratia habitualis non requiritur formaliter ad remissionem venialium. Ita D. Thomas hic art. 2. ad 3. ubi sic discurre: *Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter: uno modo per privationem eius quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debite proportionis membrorum: alio modo per inductionem alicuius impediens decorem, puta luti aut pulveris: Ita etiam anima inducitur macula, uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale. Et hoc fit per peccatum veniale, Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiae; sed ad tollendam maculam venialis peccati, requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata ad rem temporalem. Quibus verbis Sanctus Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit: Id enim requiritur formaliter ad remissionem venialis, quod requiritur ut forma tollens maculam ex eo proveniente: Sed gratiam habituales non est forma tollens maculam peccati venialis, cum ea non consistat in privatione gratiae habitualis, sicut macula peccati mortalis, sed vel in conversione aliqua inordinata ad bonum commutabile, retardante affectum voluntatis ne prompte in Deum feratur; vel in privatione fervoris charitatis, seu illius habilitatis quam habet charitas ut prompte feratur in Deum, sicut art. praeced. §. 2. in solutione tertiae objectionis declaravimus: Ergo gratia habitualis non requiritur formaliter ad remissionem peccati venialis.*

Dico quarto, remissio venialium non semper habet adjunctam gratiae habitualis infusionem, quae subinde ad remissionem venialium non requiritur concomitanter, sed solum antecedenter. Hanc etiam conclusionem docet & probat Divus Thomas hic art. 2. in corp. his verbis: *Peccatum veniale non contrariatur habituali gratiae vel charitati, sed retardat actum eius, inquantum nimis inhaeret homo bono creato, licet non contra Deum; Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia; sed sufficit aliquis motus gratiae vel charitatis ad eius remissionem.*

A a a ij

Sol-

§. II.

Solvuntur obiectiones.

37 **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Omne contrarium tollitur per suum contrarium: Sed veniale est actus naturalis contra aliquam virtutem naturalem, v. g. mendacium contra veritatem; excessus in cibo aut potu contra temperantiam: Ergo remitti potest per contrarium actum naturalem, subindeque ad ejus remissionem non requiritur auxilium divinæ gratiæ.

38 Confirmatur primò: Peccatum veniale non tollit ordinem ad ultimum finem, sed solum nimis inheret creaturæ, salvo tali ordine: Sed naturaliter & absque auxiliis gratiæ potest quis tollere hanc nimiam adhesionem ad creaturam, per actum scilicet amoris Dei Creatoris super omnia (qui est actus merè naturalis, ac proinde possibilis naturaliter sine gratia) accedendo namque ad Deum, receditur à creatura: Ergo naturaliter & absque auxilio divinæ gratiæ, potest quis obtinere remissionem venialium peccatorum.

39 Confirmatur secundò: In pura natura fuissent venialia: Sed in eo statu potuissent remitti per actum naturalem oppositum peccato: Ergo etiam in hoc statu.

40 Ad objectionem respondeo, veniale in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, non solum esse contra aliquam virtutem naturalem, sed etiam opponi alicui perfectioni supernaturali, nimirum fervori charitatis, & familiaritati ejus cum Deo, subindeque tolli non posse nisi per aliquem charitatis fervorem; aut actum aliquem supernaturalem aliquo modo convertentem hominem ad hanc familiaritatem, veniali amissam.

41 Ad primam confirmationem dicendum quod licet peccatum veniale non tollat ordinem ad ultimum finem, dicit tamen de ordinationem circa media ad talem finem: supposita autem elevatione creaturæ intellectualis ad ordinem gratiæ, sicut ultimus finis est supernaturalis, ita & media ad illum conducentia, supernaturalia sunt, & consequenter de ordinatio circa talia media per peccatum veniale, reductivè supernaturalis est; unde non potest tolli nisi per actum supernaturalem ipsi contrarium, qui proinde ex auxilio aliquo supernaturali procedere debet. Deinde, quamvis daretur, quod hujusmodi deordinatio seu nimia adhesio ad creaturam, posset tolli per actum naturalem amoris Dei creatoris super omnia, argumentum non urgeret; quia talis actus, in statu naturæ lapsæ, elici nequit sine auxilio divinæ gratiæ, ut in Tractatu de gratia ostensum est.

42 Ad secundam confirmationem concedo in pura natura futura fuisset venialia, sed diversæ rationis à nostris, eò quod tunc non fuissent opposita fervori charitatis, & familiaritati cum Deo, sicut ea quæ committuntur in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem; ideoque remitti potuissent per actum naturalem, cum aliquo tamen auxilio naturali indebito natura.

43 Objicies secundò contra secundam conclusionem: Remissio venialium quæ fit simul cum remissione mortalium, non supponit gratiam habituales, quia hæc non supponitur ad remissio-

A nem mortalium: Ergo ad remissionem venialium non semper gratia habitualis anteceditur requiritur.

Respondeo, remissionem venialium quæ fit simul cum remissione mortalium, non supponit requidem gratiam habituales, ordine dumtaxat, eam tamen supponere ordine naturæ; per enim naturæ remittuntur mortalia, per remissionem gratiæ habitualis, quæ venialis per constitutionem specialium auxiliorum, cum potest restitui in amicitiam Dei, quam in ejus familiaritatem.

Objicies tertio: Peccatum veniale remittitur in inferno: Sed in inferno non est gratia habitualis: Ergo illa ad remissionem venialium non semper requiritur. Minor patet, Major probatur, quia alias peccatum veniale puniretur pœna æterna, quod videtur nimis rigidum.

Respondeo negando Majorem, & ad ejus probationem, distinguo Antecedens: peccatum veniale puniretur pœna æterna, per se, quæ illi esset debita veniali secundum se, nego. Per accidens, ex eo quod subjectum non est gratum Deo, nec proinde capax illi satisfaciendi pro peccato five mortali five veniali, concedo.

Dices, Deus non punit ultra condignum, etiam per accidens: Sed si punit veniale in inferno pœna æterna, illud punit ultra condignum, cum peccato veniali non debeatur pœna æterna. Ergo veniale, etiam per accidens, non punitur ad pœnam æternam.

Respondeo negando sequelam Minoris, & ad probationem ei subjunctam, dico quod licet peccato veniali ex propria ratione formali, seu malitia sibi propria, non debeatur pœna æterna, ex conditione tamen subjecti, non habentis gratiam ad remissionem culpæ venialis necessarium, per accidens pœna æterna illi debetur. De quâ plurâ diximus in Tractatu de peccatis diffinitione 8. articulo 7. ad quem locum Lectorem remittimus.

Objicies quartò contra tertiam conclusionem: Gratia habitualis est forma incompatibilis cum peccato veniali: Ergo requiritur formaliter ad venialium remissionem. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens probatur. Gratia habitualis est participatio naturæ divinæ: Ergo si natura pugnat cum quocumque peccato mortali, live veniali, sicut ipsa natura divina, ejus est participatio.

Confirmatur: Gratia habitualis in patria expellit formaliter omne veniale: Ergo id etiam præstat in via, cum sit eadem in utroque statu.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens, ad ejus probationem, concedo Antecedens, te, nego Consequentiam: nam licet gratia habitualis sit participatio naturæ divinæ, est tamen participatio accidentalis, diminuta, & imperfecta, infinite distans à sanctitate increata divinæ naturæ, cum qua pugnat peccatum veniale.

Ad confirmationem, nego Antecedens: non enim gratia habitualis, sed visio Dei, & amor beatificus, expellunt peccatum veniale in participatio quidem radicaliter, amor verò beatificus formaliter.

Objicies ultimò contra ultimam conclusionem: Actus charitatis & contritionis, quibus peccatum veniale remittitur, merentur augmentum gratiæ habitualis: Ergo remissio venialium, illius remissionem semper habet adjunctam.

Respon-

Respondeo concessio Antecedente, negando A
Consequentiam; licet enim actus charitatis & contritionis quibus peccatum veniale remittitur, mereantur augmentum gratiae habitualis, non tamen semper sit infusio gratiae, quando peccatum veniale per illos actus remittitur; quia augmentum gratiae & charitatis non statim conferitur, nisi quando ponuntur actus habitu intensiores; quando vero ponuntur actus minus intensi, quibus remittitur peccatum veniale, tunc gratia non augetur in eis habitu, sed solum in esse gratiae; quia nimirum tunc subiectum acceptatur ad maiorem gratiam, quando producit actus intensior, vel in fine vitae, conferendam, ut fuse explicuimus in Tractu de virtutibus Theologicis.

Adverte autem, quod licet in remissione peccatorum venialium, non fiat semper infusio gratiae, nunquam tamen gratia infunditur, nisi fiat remissio aliquorum venialium, ut docet D. Thomas hic art. 2. in corp. his verbis: *Ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiae & charitatis ad eius remissionem.* Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusioem gratiae, sine actu motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum; ideo quodcumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittantur. Quod intelligi debet per se, & quantum est ex parte causae remittentis; interdum enim per accidens, ob impedimentum se tenens ex parte subiecti, contingere potest, quod gratia alicui infundatur, & tamen ei non remittantur peccata venialia; ut cum aliquis mente distractus, aut cum affectu ad peccatum veniale, accedit ad aliquod sacramentum; tunc enim ipsi quidem infunditur gratia habitualis, vel eius augmentum, sed non remittuntur peccata venialia, quia tali remissioni ponit impedimentum; sicut licet verum sit dicere, quod in omnibus sacramentis detur gratia, tamen ex aliquo impedimento, & per accidens, potest contingere, quod non detur, ut constat in sacramento poenitentiae informi.

ARTICULUS III.

An, & quomodo peccata venialia remittantur per Sacramenta, & Sacramentalia?

§. I.

Quibusdam praemissis, triplici conclusione, utraque difficultas resolvitur.

14. Certe est, sacramentum poenitentiae habere vim remittendi peccata venialia, ex opere operato: Tum quia non solum peccata mortalia, sed etiam venialia, sunt huius sacramenti materia, ut dicemus infra, cum agemus de confessione. Tum etiam, quia rationi consentaneum non est, existimare sacramentum poenitentiae posse quidem delere peccata mortalia post baptismum commissam, sed non venialia, quae sunt minoris momenti, & facilius remitti possunt. Unde solum difficultas est, an virtus haec remittendi peccata venialia, competat etiam aliis sacramentis, & quibusdam rebus & actionibus sacris, quae a

ten. 7.

Theologis sacramentalia appellantur, & praecipue sunt sex, hoc versu expressa.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, id est oratio Dominica, in qua petimus culpas quotidianas, seu veniales, quas quotidie committimus, nobis dimitti. Vel oratio in Ecclesia consecrata: 3. Regum 4. *Qui oraverit in loco isto, dimitte Domine peccata populi.* Tinctus, supple aqua benedicta, cuius meminit Clemens lib. 7. Constitutionum Apostolicarum cap. 47. & Alexander I. relatus in cap. *Aquam sale*, de consecrat. dist. 3. eiusque decem eximios effectus recenset Henricus libro 4. de sacramentis cap. 15. Edens, id est panis benedictus, qui in locum Eucharistiae dabatur Catechumenis, vel etiam fidelibus non communicantibus. Confessus, id est confessio generalis, quae fit in Prima, Completorio, & in principio Missae, ad quam refertur tussio pectoris, quae internum animi dolorem declarat; & de qua dicit Augustinus lib. de poenit. cap. 2. *Pro levibus peccatis pectora nostra tundimus, & dicimus, dimitte nobis debita nostra.* Additur Dans, supple Eleemosynam, quae peculiarem vim habet ad obtinendam à Deo misericordiam & remissionem peccatorum. Benedicens, id est, Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio. Quibus aliqui addunt unctionem sacram, quae Sacerdotes, & Reges unguntur. His praemissis, pro resolutione difficultatis propositae.

Dico primo, omnia sacramenta novae legis habent vim remittendi peccata venialia ex opere operato, id tamen specialiter aliquibus sacramentis competit, nimirum Baptismo, Confirmationi, Eucharistiae, & Extremae Unctioni.

Primapars est D. Thomae hic art. 3. in corp. ubi sic ait. *Per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur: utique ex opere operato, quia cum causent gratiam ex opere operato, & ad infusionem gratiae sequatur (ut ibidem ait S. Doctor) remissio venialium, hanc etiam ex opere operato causant.*

D Ratio etiam id suadet: nam omnia sacramenta novae legis habent virtutem remittendi ex opere operato peccata omnia mortalia, quadam ex vi primariae institutionis Christi influentis, & haec dicuntur sacramenta mortuorum; alia vero ex vi secundariae institutionis eiusdem Christi, & haec appellantur sacramenta vivorum, ut in Tractu de sacramentis in communi disp. 3. fuse ostendimus. Ergo cum peccata venialia facilius remittantur, sacramenta novae legis remittunt peccata venialia ex opere operato, eaque maxime, quae speciali cuiusque fini magis opponuntur, ut matrimonium, ea quae repugnant specialiter castitati & statui conjugali: Ordo, quae religioni & statui clericali: Confirmatio, quae fidei: Eucharistia, quae charitati & unioni cum Deo & cum proximo.

Confirmatur: Omnia sacramenta, ut instrumenta passionis Christi sunt instituta ad sanctificandas animas, eaque perfecte disponendas ad gloriae consecutionem: Ergo & ad tollenda omnia impedimenta, quae aliquo modo possunt à gloria consecutione impedire: Cum igitur venialia retardent nos à consecutione gloriae, debent per sacramenta rite suscepta remitti.

Secunda pars conclusionis probatur discurrendo sigillatim per huiusmodi sacramenta. In primis de Baptismo id manifestum est, cum enim sic

A a a iij

quae-

quædam spiritualis regeneratio, gratia quæ in eo datur est regenerativa, iubeatque omnino transmutat hominem, & delet omnem maculam vitæ præteritæ, quæcumque illa sit, ut definit Tridentinum sess. 5. can. 5. ubi ait Baptismus tollere in eo quem regenerat, quidquid veram habet & propriam peccati rationem. Et Florentinum in decreto unionis dicit effectum hujus sacramenti esse remissionem omnis culpæ, tam actualis, quam originalis: sub culpa autem actuali, continetur peccatum veniale. Idem patet de Confirmatione, cum enim proprius ejus effectus sit robor animæ, & incrementum vitæ spiritualis, debet ex opere operato remittere peccata venialia, quæ perfectioni & incremento vitæ spiritualis, opponuntur. De Eucharistia verò probatur, Tum quia est instituta per modum cibi & nutrimenti spiritualis, unde propria virtute restaurat quod deperditur per calorem concupiscentiæ, ex qua sunt peccata venialia. Tum etiam, quia proprius hujus sacramenti effectus est excitare fervorem charitatis, quo peccata venialia remittuntur. Unde Trid. sess. 13. cap. 2. affirmat illud esse antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, id est à venialibus, & à mortalibus præservemur. Demum de Extrema-Untione facile suadet, tum ex forma ipsius, in qua sic dicitur, Dimittat tibi Deus quidquid peccasti per visum. &c. quæ verba præcipue de peccatis venialibus intelligenda esse, suo loco dicemus. Tum etiam quia cum hoc sacramentum institutum sit ad perfectè disponendum hominem ad gloriæ ingressum & consecutionem, debet, ex vi sua & institutionis, tollere peccata venialia, quæ ab introitu ad gloriæ, & ab ejus consecutione retardant.

Dico secundò, non solum sacramenta, sed etiam nonnulla sacramentalia, remittere peccata venialia ex opere operato. Ita communiter docent Thomistæ, contra Recentiores.

67 Probatur primo: Nonnulla sacramentalia dicuntur ex benedictione Ecclesiæ sanctificare & mundare nos, non quidem à peccatis mortalibus (sic enim deberent gratiam infundere) sed à venialibus, quia non datur alia sanctificatio atque mundatio, nisi à peccatis mortalibus, vel venialibus; non datur enim in lege Evangelica sanctificatio seu purificatio à legalibus immunditiis, cum legalia illa jam cessaverint: Sed hæc melius & convenientius explicantur, si dicatur illa sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato: Ergo ita sentiendum est. Major est expressa in jure in c. *Aquam sale*, de consecrat. dist. 3. ubi Alexander I. qui fuit quintus post D. Petrum Pontificem sic ait: *Aquam sale conspersam in populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, quod omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Si enim cinis virule aspersus sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale conspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Elisabeth Propheetam, sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacrata sal, sterilitatem verum anserit humanarum, & conquinatos sanctificat & purgat, &c. hoc est multiplicat, & insidias diaboli averte, & à phantasmatis versutis homines defendit. Minor verò suadetur: Ideo Theologi colligunt ex doctrina Patrum, sacramenta novæ legis causare gratiam ex opere operato, quia dicunt Patres absolute & simpliciter, quod sanctificant & purificant animas: Ergo similiter quando Patres dicunt sacramen-*

A talia nos sanctificare & mundare à peccatis venialibus, id melius & convenientius intelligitur explicatur de remissione venialium ex opere operato, quam solum ex opere operantis.

Probatur secundò: Sacramenta legi novæ per hoc differunt à sacramentis legi antiquæ, quod ista solum ex opere operantis, illa vero etiam ex opere operato remittant peccata venialia: Ergo similiter differentia inter sacramentalia legis Mosaicæ, & sacramentalia legi Christiani, in eo consistit quod ista ex opere operantis, illa verò ex opere solum operantis effectum remittant venialium.

Addo, hoc maxime pertinere ad Christi magnificentiam, quod potestatem Ecclesiæ facere diderit instituendi signa aliqua sensibilia & ceremonias, in quarum usu ex opere operato remitterentur hominibus peccata venialia; & quod effectum & devotionem magis erga ceremonias Ecclesiæ excitare.

Dixi autem, Nonnulla sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, quia inter sacramentalia quædam sunt quæ remittunt peccata venialia, solum ex opere operantis, quatenus ipsa in se aliquem bonum morum includunt, vel fervorem charitatis extrinsecè habent & objectivè excitant, ut docet S. Thomas quest.

7. de malo art. 12. his verbis: *Voluntas ad quam pertinet fervor seu ad us charitatis, tripliciter ad aliquid inclinatur; aliquando quidem ex sola ratione, liquid demonstrante; aliquando ex ratione sua, & aliquo interiori instinctu; aliquando autem ex ratione habitus inberventis; & illa constantem fervorem, atque adeo remissionem peccati venialis, secundum tria prædicta, ut sacramenta novæ legis, ea ratio considerat ut salutes medicinas, & virtus in eis secretus operatur salutem, & per consertur habitualis gratia donum. Quædam sunt, quæ causant remissionem venialis peccati, secundum duo prædicta; non enim causant gratiam, & excitant rationem ad aliquid considerandum, quatenus charitatis fervorem; & etiam pie credendum est virtus divina interior operatur, excitando alius fervorem; & hoc modo aqua benedicta, benedictio Pontificalis, & huiusmodi sacramentalia causant remissionem peccati venialis. Quædam vero sunt, quæ causant remissionem venialis, solum, excitando charitatis fervorem, per modum considerationis, sicut oratio Dominica, unctio pectoris, & alia huiusmodi.*

Itaque in his sacramentalibus distinguuntur quæ specialem consecrationem & benedictionem Ecclesiæ habent ad sanctificationem nostram, ut aqua benedicta, benedictio Episcopalis, & similia; & alia quæ talem consecrationem non habent, sed ipsa de se motum aliquem bonum & fervorem charitatis, includunt, ut oratio Dominica, quæ petit remissionem peccatorum, pia & devota unctio pectoris, confectio gentilis, &c. De prioribus docet S. Thomas, quod non solum remittunt venialia, excitando rationem ad considerandum, in quo maxime consistit id quod sit ex opere operantis, sed etiam, quia pie creditur virtutem divinam interioris operari: quod utique ad virtutem ex opere operato pertinet; eisdem enim verbis idem S. Doctor hac parte quæst. 62. art. 1. explicat modum quo sacramenta novæ legis causant gratiam, & remittunt peccata ex opere operato, scilicet quia virtus divina in eis secretus operatur.

Dico tertio, nec Sacramenta, nec Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato immediate, sed mediate tantum, quatenus scilicet ex meritis Christi, vel ex orationibus Ecclesiae, à Deo obinent dignè ea recipientibus, auxilia quædam supernaturalis ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displiceant & retrahuntur.

Probat primò ex D. Thoma hic art. 3. in corp. ubi Sacramentalia dicit valere ad remissionem venialium, in quantum sunt cum motu detestationis peccatorum, vel cum motu reverentie in Deum aut res divinas, supple, qui sit virtualis displicentia de peccato. Et in resp. ad 1. ait, ea causare remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum penitentiae, qui est detestatio peccatorum, vel implicitè, vel explicitè. Item in resp. ad 3. asserit: per illa tolli peccata venialia quantum ad culpam, virtute charitatis, cuius motus per ea excitatur. Deum de Sacramentis docet in 4. sent. dist. 16. quest. 2. art. 2. quest. 3. omnia Sacramentalia remittere venialia, quia nata sunt excitare fervorem charitatis, quo venialia remittuntur. Specialiter id affirmat de Eucharistia in hac parte quest. 79. art. 4. Ergo censet Sacramenta & Sacramentalia non remittere peccata venialia immediate, sed mediate tantum, quatenus scilicet ex meritis Christi, in actuali & devota eorum susceptione, conferuntur à Deo auxilia supernaturalia, ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displiceant & retrahuntur.

Ratio etiam id suadet, cum enim venialia opponantur fervori charitatis, & eius privationem causent, nullaque privatio possit tolli, nisi per positionem formæ oppositæ; Sacramenta, vel Sacramentalia, non possunt aliter remittere peccata venialia, quam obtinendo ex meritis Christi, vel ex orationibus Ecclesiae, auxilia supernaturalia, quibus homo applicetur à Deo ad eliciendos actus ferventes charitatis vel penitentiae, per quos talia peccata formaliter aut virtualiter retrahuntur. Ex quo patet differentia inter peccata mortalia & venialia, & ratio cur per Sacramenta, peccata mortalia remittantur ex opere operato immediate, non autem venialia; quia nimirum Sacramenta causant immediate gratiam habitalem, cui macula mortalis privative opponitur; non autem actualem charitatis fervorem, cui opponitur peccatum veniale.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

Obiicies primò contra primam conclusionem: Qui confitetur aliquod peccatum veniale, & alia ex intentione tacet, etiam si nullam complacentiam habeat ad ea, remissionem ipsorum non assequitur; alias enim impertinens esset illa confiteri, quandoquidem per hoc præcise quod peccator unum ex eis confiteretur, remissionem aliorum etiam obtineret: Ergo per alia Sacramenta, nulla peccata venialia ex opere operato remittuntur; cum enim in aliis Sacramentis nulla fiat confessio peccatorum venialium, ita se habent respectu eorum omnium, sicut Sacramentum penitentiae se habet ad illa quæ penitens non confitetur.

Respondet Nugno, negando, suppositum An-

tecedentis, nimirum quòd ille qui confitetur aliquod peccatum veniale, & alia ex intentione reticet, non retineat eo ipso affectum ad illa, cum enim proprius modus huius sacramenti sit remittere peccata, mediâ confessione, non velle illa confiteri, est (inquit) habere virtualem quandam complacentiam in illis. Hæc solutio probabilitate non caret.

Respondeo tamen secundò, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem; confessio enim peccatorum, sive mortalium, sive venialium, est pars sacramenti penitentiae, non verò aliorum Sacramentorum: unde licet in Sacramento penitentiae non remittantur peccata venialia, quæ voluntariè & ex intentione reticentur; in aliis tamen sacramentis obtinetur eorum remissio, licet nulla fiat in receptione talium sacramentorum mentio de illis peccatis.

Obiicies secundò: Si quid suaderet, quòd sacramenta remittunt peccata venialia ex opere operato, maximè quia causant infusionem gratiæ ex opere operato, quæ est ratio D. Thomæ hic art. 3. Sed hæc ratio nulla est, quia peccata venialia non sunt impossibilia cum gratia, cum reperiantur in sanctis & iustis; unde sicut non excludunt gratiam dum committuntur, sic nec excluduntur à gratia, dum infunditur: Ergo sacramenta non remittunt peccata venialia ex opere operato.

Confirmatur: Ut sacramenta remitterent venialia ex opere operato, necesse esset quòd causarent aliquid impossibile cum huiusmodi peccatis: Sed nequit assignari quidnam sit illud impossibile, non enim est intensio gratiæ & charitatis, quandoquidem cum gratia & charitate quantumcumque intensa, est impossibile peccatum veniale, & affectus ad ipsum; neque aliud videtur assignabile: Ergo sacramenta remittere nequeunt peccata venialia ex opere operato.

Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minorem, nam ratio D. Thomæ est optima, bene intellecta. Verum quidem est, quòd peccata venialia non opponuntur perfectè gratiæ habituali vel charitati, opponuntur tamen ejus fervori, qui excitatur per infusionem gratiæ, in devota susceptione sacramentorum; & hoc sufficit ad hoc ut sacramenta remittant ex opere operato peccata venialia. Licet ergo peccata venialia non excludant gratiam quam inveniunt in subiecto, excluduntur tamen à gratia quæ in devota susceptione sacramentorum infunditur, ratione fervoris charitatis, qui in illa excitari solet. Unde D. Thomas hic art. 2. sic ait:

Quia in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solus possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum; ideo quandoque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

Ex his patet responsio ad confirmationem, dicendum enim est, illud impossibile cum peccatis venialibus, quòd sacramenta devotè suscepta causant instrumentaliter & ex opere operato, esse auxilium efficax ad actum ferventem penitentiae vel charitatis, quo talia peccata formaliter aut virtualiter detestantur & retrahuntur, ut in tertia conclusione declaravimus.

Obiicies tertio: Si sacramenta cum attentione de venialibus suscepta, talia peccata ex opere operato remitterent, vel omnia, vel aliqua tantum

dele-

deherent? Non omnia, quia Sacramentum matrimonii v. g. non habet contrarietatem cum omnibus. Neque aliqua duntaxat, quia fieri potest quod attritio cum qua aliquis ad Sacramentum accedit, non sit potius de uno, quam de alio, sed de omnibus. Erga Sacramenta cum attritione de venialibus suscepta, ea non remittunt ex opere operato.

70 Respondet Nugno, Sacramenta cum attritione de venialibus suscepta, ea duntaxat remittere, quæ speciali cuiusque fini opponuntur: v. g. Sacramentum Eucharistiæ venialia tantum, quæ charitati; matrimonium, quæ castitati conjugali contrariantur &c. Melius tamen respondetur, quod licet Sacramenta novæ legis ea præcipue remittant ex opere operato peccata venialia, quæ speciali cuiusque fini magis opponuntur, ut primâ conclusione declaravimus, nihilominus quodlibet Sacramentum cum attritione de omnibus peccatis venialibus susceptum, remittit omnia venialia, in quantum scilicet excitat ex opere operato, atque adeo efficaciter, ad actum charitatis ita fervidum, ut repugnet cum eo omni quod potest ipsum retardare; atque adeo cum omni peccato veniali. Dixi autem, cum attritione de omnibus venialibus susceptum, quia si attritio sit tantum de aliquibus, illa duntaxat remittit, non verò alia.

71 Obijcies quartò contra secundam conclusionem: Si Sacramenta remitterent venialia ex opere operato, Ecclesia habens potestatem instituendi Sacramentalia, posset eo ipso instituere signa sensibilia, ex opere operato peccatorum venialium destructiva: Sed hoc admitti neguit; tum quia Ecclesia non potest virtutem rebus tribuere ad ejusmodi peccatorum remissionem; tum etiam, quia in re gravi (inquit Suarez) non est affirmandum nisi quod constat ex Scriptura, vel traditione, vel usu Ecclesiæ, vel saltem urgenti ratione: nihil autem horum reperitur in proposito, non quidem auctoritas Scripturæ, siquidem ex ea solum habemus illa verba Joan. 20. Quorum remisistis &c. Et ista Matth. 16. Quæcumque solveritis super terram &c. priora autem sufficienter intelliguntur de potestate remittendi peccata per Sacramentum penitentiae; posteriora verò de potestate remittendi poenae per indulgentias, nec non ligandi & solvendi per censuras Ecclesiasticas. Neque traditio vel usus Ecclesiæ (ex quo solum colligitur Ecclesiam instituisse Sacramentalia in remissionem venialium) suadent illam remissionem fieri ex opere operato, quandoquidem ex illis nihil de modo isto causalitatis indicatur. Neque urgens aliqua ratio aut necessitas; Christus enim instituit Sacramenta, quæ ex opere operato remittunt venialia: Ergo Sacramentalia non remittunt venialia ex opere operato.

72 Respondeo concessa Majori, negando Minor, & ad primam illius probationem dico quod licet Ecclesia non possit tribuere rebus virtutem ad causandam remissionem peccatorum, habet tamen potestatem designandi, determinandi, & consecrandi aliquas res, quibus sic determinatis & consecratis, Christus qui eas elevat, virtutem tribuat peccatorum venialium ex opere operato remissionem. Idque probabiliter colligitur ex Scriptura & traditione: ex Scriptura quidem, quia Doctores nostræ sententiæ adherentes, explicant verba illa Christi, Quorum remisistis peccata, &c. etiam de remissione venialium, mediis Sacramentalibus. Ex traditione verò, quia in de-

A cretis Pontificum dicitur simpliciter quod huius mentalia sanctificant & purificant, ut patet ex verbis Alexandri primi, in secunda conclusionem relatis: verba autem purificare & sanctificare applicata rebus corporeis in nova lege, abstrahuntur a restrictione vel modificatione, intelliguntur de purificatione & sanctificatione facta ab illis, quibus ex opere operato. Per quod patet ad secundam probationem Minoris.

Obijcies quintò: Sacramentalia non remittunt ex opere operato peccata venialia quoad poenitentiam. Ergo neque quoad culpam. Consequentia manifestata, si enim non remittant quoad culpam, minus est in peccato, scilicet poenitentia, a peccato non remittunt quoad id quod magis est, scilicet culpa.

B Respondeo negando Antecedens, nam ut ait S. Thomas hic art. 3. Licet per quoddam peccatum (Sacramentalium) non semper tollatur poenitentia, quia sic qui esset omnis poenitentia a peccato mortali, aspersus aqua benedicta, facta esset res, sup. le, in celum. Tamen poenitentia tollitur per peccatum, secundum modum poenitentiae, qui per peccatum excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.

Obijcies sextò: Cum sacramentalia ex æquo habeant omnia venialia, siquidem non magis unum quam alterum, quantum est de le re, sciunt, si ex opere operato causarent eorum remissionem, omnia prorsus remitterent & sic illi sunt absque peccato mortali, aspectu aquibenedicta, dicere possent, Peccatum non habetur, quod est contra id quod habetur i. Joan. 1. tunc morerentur, statim evolerent in celum: Sed hæc videntur absurda: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam Majoris, nam ut ait D. Thomas quæst. 7. de Malo art. 13. Quamvis Sacramentalia equaliter se habeant ad omnia peccata venialia, tamen semper ab eis excitatur non equaliter semper se habet ad omnia, sed quandoque respicit aliqua in speciebus, & contra ex hoc citius operatur. Et si in generali respicit ea, potest contingere quod non habet eundem effectum venialibus, eo quod affectus hominis aliquando habet ter est inclinatus ad aliqua peccata venialia committenda, ita scilicet quod si in memoria haberetur, non displicerent, vel forte si opportunitas esset, committerentur. Et rari contingit homines in his mortali vita viventes, ab huiusmodi affectibus liberari, si etiam homo ad horam per huiusmodi remota ab omnibus venialibus immunitatem consequatur quantum ad culpam, non tamen sequitur quod si horatus quantum ad totam poenam, non sit poenitentia feror dilectionis, quod sufficit ad totam poenam remissionem.

Addo quod, argumentum illud esse quidem efficax, si diceremus Sacramentalia remittere ex opere operato aliqua venialia, absque attritione de illis, sed cum hoc non dicamus, facile respondetur, quod omnia venialia remittuntur, quando attritio est de omnibus; aliqua vero duntaxat, & non alia, quando attritio iustus de aliquibus; & non de aliis; nulla autem, defectu sufficientis dispositionis, quando suscipiuntur sacramentalia aliquid, de nullis attritio. Unde S. Thomas hic art. 3. ad 2. Omnia ita (scilicet Sacramentalia) quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium, potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret, quia

per fictionem interdum impeditur effectus baptis-
mi. Obijciunt ultimò contra tertiam conclusionem:
Si sacramenta & sacramentalia, mediàtè solum
peccata venialia remitterent, excitando scilicet
fervorem charitatis, nulla esset differentia inter
illa & sacras imagines, cum illæ etiam excitent
in nobis pios motus & affectus, nec non chari-
tatis fervorem: Sed hoc dici nequit: Ergo nec
illud.

Respondeo negando sequelam Majoris, & ad
ejus probationem dico, aliter sacramenta, vel
sacramentalia, & aliter imagines sacras excitare
in nobis fervorem charitatis; imagines enim sa-
cræ illum excitant solum objectivè, sacramenta-
lia verò, & sacramenta, imperativè; quatenus ex
meritis Christi, vel precibus Ecclesiæ, impetrant
à Deo auxilia supernaturalia, quibus homo in ac-
tus ferventes charitatis prorumpit, ut conclu-
sione 3. declaravimus.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo, remittantur iustis post
hanc vitam peccata venialia?

Hugo Victorinus, & nonnulli alii apud S.
Bonaventuram in 4. dist. 21. quæst. 2. ex-
stimant fieri non posse, quod aliquis decedat
cum solis peccatis venialibus, subindeque quod
venialia post hanc vitam quoad culpam remittan-
tur. Vel enim (inquiiebant) antequam moriatur
iustus, agit quod potest ad illorum expiationem,
vel non? Si primum, ea peccata tolluntur, saltem
quoad culpam, ante mortem. Si secundum, gra-
ve peccatum eo ipso committit, siquidem cum
videat peccatis venialibus suam beatitudinem re-
tardari, & tamen ea impedimenta tollere negli-
gat, suam salutem contemnit.

Verum hæc sententia ab aliis Theologis com-
muniter rejicitur. Primò, quia SS. Patres relati
à S. Thoma quæst. 7. de Malo, art. 11. in argumen-
to *sed contra*, docent peccata venialia post hanc
vitam remitti quoad culpam: Gregorius enim
4. Dialog. cap. 39. expendens verba illa Christi
Matth. 12. Qui peccavit in Spiritum Sanctum, non
remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro, sic
ait: In hac sententia datur intelligi quasdam culpas in
hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Au-
gustinus etiam dicit quod illo transitorio igne, non
capitalia, sed minuta peccata purgantur: Quod de-
bet intelligi de purgatione venialium, non solum
quoad poenam, sed etiam quoad culpam; cum
peccata capitalia seu mortalia, in hac vita quoad
culpam remissa, possint quoad poenam igne pur-
gatorii expiari. Item Glosa in illud Matth. 3. Ipse
vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne, sic habet:
Spiritu in presenti abluit, post, si qua macula surrexe-
rit, igne purgatorio ad purum exurit.

Secundò, potest quis ignorare bonâ fide se ha-
bere venialia, aut existimare inculpabiliter se de
illis sufficienter conteri, quamvis non ita sit: po-
test etiam præveniri phrenesi, aut morte repenti-
nâ, ita ut non habeat tempus cogitandi & dolendi
sufficienter de venialibus: Ergo cum venialia non
excludant in perpetuum à regno cælesti, in quod
nihil coinquinatum intrare potest, dicendum est,
illa post hanc vitam remitti, non solum quoad
poenam, sed etiam quoad culpam.

Tertiò, gratis omnino dicitur, illum contem-

Tom. V.

nere suam salutem, qui ante mortem negligit e-
licere actus poenitentia, quibus peccata venialia
prius commissa remittantur, sicut enim venialia
non sunt materia necessaria confessionis sacra-
mentalæ, ita nec virtutis poenitentia, & conse-
quenter nulla est necessitas præcepti ad poeniten-
dum de ipsis, nec proinde omisso retractationis
eorum, verus contemptus salutis. Alioquin pari
facilitate dici posset, eum contemnere salutem
suam, & mortaliter peccare, qui non satisfacit
pro poena peccatorum in hac vita (cum per hujus
poenæ obligationem & reatum, beatitudo retar-
detur) ac proinde non esse purgatorium; quod
hæreticum est.

In hoc omnes ferè Theologi conveniunt, sed
in explicando modo quo peccata venialia post
hanc vitam remittuntur, inter se discrepant.
Alenis enim 4. parte quæst. 57. membro 3. docet
illam remissionem fieri, non per aliquem actum
ipsius animæ separata, sed per solam finalem gra-
tiam habitualem, quæ licet tunc non sit summa
secundum intentionem, bene tamen secundum
statum, cum sit in termino: ex vi enim termini
(inquit) redditur potentior quam antea, proin-
deque potest omnem culpam venialem ab anima
excludere.

Sed hic modus dicendi probabilitate caret, &
ex eo impugnatur, quod gratia nondum consum-
mata per visionem beatificam (qualis est ea cum
qua homo decedit, in primo instanti separationis
animæ) non sit impossibilis aut pugnans cum
peccato veniali; alias enim etiam in præsentia vita
illud secum non admitteret, quandoquidem hoc
quod est esse in primo instanti separationis ani-
mæ, sive esse gratiam finalem hujus vitæ, nihil
ipsi extra statum beatitudinis addit, nisi conjun-
ctionem cum morte, quod certè non est reme-
dium contra peccatum veniale: non fit ergo illa
remissio per habitum, gratiæ, sed per aliquem
ejus actum.

Non minus à veritate aliena est sententia Sco-
ti in 4. distinct. 21. quæst. 1. Majoris & Gabrie-
lis ibidem, existimantium peccata venialia cum
quibus moritur iustus, remitti quoad culpam,
vel duntaxat in purgatorio, per condignam poe-
næ solutionem, vel in primo instanti separatio-
nis animæ, propter opera bona præterita, ex in-
tentione quasi ad hoc reservata usque ad illud tem-
pus. Non minus, inquam, hæc opinio à veritate
aberrat, nam prima pars hujus dicti falsum sup-
ponit, quod nimirum ex peccato veniali actuali
præterito, solum remaneat deputatio hominis ad
poenam, & consequenter quod idem sit, peccatum
veniale remitti quoad culpam, & quoad remissio-
nem poenæ: falsum, inquam, supponit; ex peccato
enim veniali actuali, præter deputationem ad poe-
nam, remanet quædam habitualis macula & in-
ordinatio in anima, quæ prius tolli debet, quam
poena illi debita remittatur, ut supra art. 1. §. 2.
in solutione 4. objectionis ostensum est.

Nec minus falsa est secunda pars ejusdem dicti:
vel enim opera illa meritoria præcedentia instans
mortis, sufficiebant in præsentia vita ad remissio-
nem venialium, vel non: si sufficiebant, ergo an-
te mortem illa remiserunt: si non sufficiebant,
ergo neque etiam in instanti separationis animæ
sufficiunt.

Addo quod fieri potest, ut quis paulò post
suam justificationem per Sacramentum Baptismi,
moriatur in peccato veniali: nullo adhuc opere
meritorio factò: Ergo falsum est dicere genera-

B b b

tim

tim, venialia deleri post mortem per opera meritoria precedentia. His ergo sententiis rejectis.

86. Dicendum est, remissionem venialium post hanc vitam fieri per actus contritionis, vel charitatis, quibus anima peccata illa detestatur & retractat. Ita S. Thomas quaest. 7. de Malo, art. 11. in corp. ubi sic ait: *Venialia remittuntur post hanc vitam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis.* Et in resp. ad 9. Remittitur (inquit) in purgatorio peccatum veniale, quantum ad culpam, virtute gratiae, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum.

87. Ratio etiam id suadet, non potest enim veniale remitti, etiam in alia vita, nisi per aliquam formam ipsi oppositam, & cum eo repugnantem, quae alia esse nequit, quam actus contritionis vel charitatis, quibus anima peccata illa detestatur & retractat, ut ex supra dictis manifestum relinquitur: praeterquam quod, generales assertiones Scripturae, Conciliorum, & Patrum, affirmantium peccata non remitti sine aliquo actu poenitentiae, temere & sine sufficienti ratione restringenda & limitanda non sunt: nulla autem ratio urgens aut sufficiens ab adversariis adducitur, ut patebit solvendo objectiones ipsorum.

88. Obijciunt ergo primo: Cum status alterius vitae, non sit status vitae, sed termini, nullus actus hominis iusti post hanc vitam potest esse meritorius vel satisfactorius, vel consequenter causare remissionem culpae venialis.

89. Sed ad hoc dicitur potest primo, quod licet post hanc vitam non possit esse meritum praemii essentialis, bene tamen alicujus praemii accidentalis, quandiu manet adhuc anima aliquo modo in via ad beatitudinem, sicut manet quandiu est in Purgatorio. Ita S. Thomas in 4. dist. 21. quaest. 1. art. 3. ad 4. ubi haec scribit: *Dicendum quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu praemii essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse, quandiu manet homo in statu viae aliquo modo, & ideo in purgatorio potest esse actus meritorius, quantum ad remissionem culpae venialis.*

Vel dici potest secundo cum eodem S. Doctore quaest. 6. de Malo, art. 11. ad finem corporis articuli, actum aliquem animae iusti à corpore reparatae culpas veniales remittere, non sicut in praesenti vita per modum meriti vel satisfactionis, sed per modum condignae retractionis & displicentiae, removens prohibens.

90. Obijciunt secundo, si actus contritionis & charitatis quos anima à corpore separata eliciunt, valeant ad remissionem culpae venialis, valebunt etiam pro remissione poenae: Sed hoc dici nequit, alioquin animae illae quam citissime liberarentur ab omni poena, per actus frequentes & ferventes, quos vinculis & impedimentis corporis expedita, sensuque poenarum, & desiderio beatitudinis excitatae, promptissime exercent: Ergo &c.

91. Respondeo negando sequelam Majoris: Ratio est, quia beneficium remissionis culpae est illis necessarium; debent enim, ut fruantur aliquando beatitudine, ad quam jus habent per gratiam sanctificantem, purgari à culpa venialium; & non possunt ab ea purgari, nisi per re-

missionem, ad quam Deus praerequirat dispositionem aliquam, per detestationem sufficientem peccati: at beneficium remissionis poenae non est illis necessarium, cum possint rigore peccati veniali. Unde licet per actus charitatis quos in instanti separationis, vel in purgatorio eliciunt, remissionem culpae venialis consequantur, non tamen remissionem poenae illi debent, sed illam in purgatorio per condignam satisfactionem solvunt.

Quaeres, quandomam animae à corpore separatae eliciant actum illum contritionis & charitatis, quo peccata venialia detestantur & retractant, eorumque remissionem consequuntur.

Respondent aliqui, talem actum elici ab anima separata, in ipso instanti separationis animae à corpore, quia anima, statim à corpore separata, agnoscit suas culpas ut impedimentum ad gloriam, & perfectam familiaritatem cum Deo, unde statim eas detestatur, & in ferventem charitatis vel contritionis actum prorumpit, antequam ingrediatur purgatorium, in quo tantum purgantur poenae ex praeteritis peccatis relictae. Haec responsio & sententia probabilitate non caret.

Probabilior tamen videtur alia opinio, quam approbare videtur S. Thomas quaest. 6. de Malo art. 11. ad 16. ubi innuit animam à corpore separatae actum illum charitatis vel contritionis quo peccata venialia detestatur elicere in ingressu purgatorii, rationemque infirmat in illo argumento cui respondet, sic enim ibi dicitur: *Quando est aliquod magnum bonum quod desideratur, & magnum malum quod imminet, excitatur in hominem desiderium ad consequendum bonum, & evadendum malum: se anima separata quae est poenarum obnoxia, imminet magnum malum, scilicet actus purgatorii poena, & desideratur a maximo bono, scilicet à vita aeterna: Ergo statim excitatur in ea fervens desiderium &c.*

DISPUTATIO V.

De Perfectione Remissionis Peccatorum.

Ad quaest. 88. D. Thoma.

Explicata natura & principali effectu poenitentiae, qui est remissio peccatorum mortalium & venialium, differet S. Thomas de perfectione hujus effectus, additque peccata semel per poenitentiam remissa, per subsequens peccatum non redire. De quo breviter in hac disputatione agendum est. Unde sit

* * *